

Phinees & placuit, & cessavit quassatio. Et reputatum est ei in iustitiam, in generatione & generationem usque in sempiternum. Ecce occisionem hominis reputatum esse Phinees ad iustitiam, ut dicit Chrysol. homilia 17. super Matth. cuius verba citantur à Gratiano in cap. Occidit 23. q. 8. Certum est autem in illis verbis Prophetæ, reputari ad iustitiam occisionem, non significare Phinees fuisse iustificatum per talem occisionem, sed solum significare illum sic occidendo illos fornicatores, fecisse opus iustitiæ, & talem occisionem fuisse acceptatam à Deo tamquam opus iustum. Eodem igitur modo interpretandus est Paulus quando dixit fidem Abrahamæ reputatam esse illi ad iustitiam, non quod per solam illam fidem fuerit iustificatus, sed quod sic credendo, fecerit opus iustum. Forte Philippus & sui sectatores putabant se urgere nos per id quod Paulus continuo subdit, dicens: Et autem qui operatur, merces non imputatur secundam gratiam, sed secundam debitum. Et vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides ejus ad iustitiam. Ex quibus verbis, forte Philippus colligit fidem sive operibus iustificare. Sed longe aliter quam Philippus putat, verba illa Pauli sunt intelligenda. Nam Paulus illo loco, postquam dixerat fidem Abrahamæ reputatam esse illi ad iustitiam, statim differt de operibus, post fidem & gratiam fuisse perceptam, factis. Duos itaque Paulus in illo loco distinguit homines jam iustificatos. Sunt enim aliqui qui post fidem & gratiam susceptam opera bona fecerunt, & istis dicit mercedem (hoc est, gloriam æternam quæ vera est merces) deberi non secundum gratiam, hoc est, non gratis & ex pura liberalitate, sed secundum debitum, quia gloria æterna debetur operibus bonis, non ex natura aut dignitate naturali ipsorum operum, sed ex promissione divina. Sunt alii qui post fidem & gratiam susceptam nullum bonum opus operati sunt, quia forte nullum fuit illis datum tempus, in quo recte operari potuissent, prout contigit illis qui à baptismo suscepto statim mortui sunt, & istis sola fides reputatur ad iustitiam, non solum ut iusti sint in hac vita, sed etiam ad gloriam æternam, quam Chrysol. in hoc loco appellat iustitiam plenam & cumulatam. Et hoc tribuitur istis non secundum debitum, ut primis, sed secundum gratiam & meram liberalitatem Dei, & hoc est quod dicit Paulus secundum propositum gratiæ Dei. Quod autem istis non detur merces, ita secundum debitum, sicut primis, inde evenit quod primi aliquid proprium opus habuerunt, in quo Deo servierunt, & de eo merces est aliquo modo illis debita: secundi autem solam fidem habuerunt, quæ, ut ait Paulus: (Ephes. 2.) Dei donum est, & ideo non proprie dici potest opus nostrum, quia nullus eam propriis viribus potest acquirere, juxta id quod Salvator ait: (Joann. 3.) Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Juxta hunc modum exponunt hæc Pauli verba beatus Anselmus, & Glossa, quæ vulgo dicitur Ordinaria, & beatus Thomas. Alteram interpretationem reddunt eisdem verbis hi tres Doctores, quos proxime citavimus. Sed multo magis aridet illa, quam ego nunc proxime enarravi, quoniam magis mihi videtur esse littera germana. Quarto nobis obijcit illud Pauli: (1. Cor. 3.) Fundamentum aliud nemo potest ponere preter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificet supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, & stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit,

quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus asserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Ex his Pauli verbis Lutherani se convincere putant, fidem solum sufficere ad salutem. Nam Paulus, ut illi existimant, his verbis docet falvos fore omnes qui habuerint Christum pro fundamento sui spiritualis ædificii, quicquid postea ædificent. Dicunt enim Paulus solum duos ordines superædificantium Christo constituit, & utroque fore falvos, eos quidem qui ligna, fœnum, & stipulam superædificant, salvari per ignem: alios vero, qui aurum, argentum, & lapides pretiosos superædificant, salvari sine igne. Cum igitur omnes qui fidem Christianam habent, teneant Christum, quia ut Paulus ait: (Ephes. 3.) Ille per fidem habitat in cordibus nostris. Et ob eandem causam, ipse Paulus gloriatur, se fundamentum posuisse apud Corinthios, quia fidem Christi illis tradiderat, inde Lutherani aperte colligere se putant, omnes qui erudiant in Christo, tandem fore falvos, aut per ignem tribulationis consummationem mala opera perpetrata, aut sine huiusmodi igne, qui nihil mali, sed solum bona opera fecerunt. Sed hæc istorum argumentatio, ex prava, & detorta verborum Pauli intelligentia procedit. Et certe si hæc Pauli verba recte ut decet considerentur, apertissime cognoscetur, multo magis nobis favere quam illis. Nam ex illis verbis, ut postea in titulo de purgatorio longius comprobabimus, colligitur esse purgatorium ignem post hanc vitam, & distinctionem peccatorum mortalium à venialibus, peccanque venialium esse solum temporalem. Sed his omisiss, quæ ad alium locum disputanda relinquimus, opus est, ut ad nostrum scopum accedentes, probemus nihil tale in verbis Pauli contineri, quale hæretici putant. Primo quidem decipiuntur putantes eos qui opera mala perpetraverunt, & in eorum affecta permanent, habitare in Christo, & illum habere pro fundamento. Nam beatus Joannes in sua prima canonica epistola cap. 1. dicit: Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum illo, & in peccatis ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Quid est autem in tenebris ambulare, nisi opera peccatorum facere? sunt enim ipsa peccata verissima tenebræ. Et iterum in eadem epistola cap. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. At qui peccata committit, non ambulat sicut Christus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: ergo ille juxta Joannis sententiam, in Christo non manet. Et iterum in eodem loco: Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat. Ex quibus Joannis verbis apertissime convincitur, illum qui odit fratrem suum, non habitare in Christo, quæ lux est verissima, quoniam ut ait Paulus (2. Cor. 6.) Quis societas lucis ad tenebras? Et rursum iterum idem Joannes 1. 3. ait: Omnis qui in eo manet, non peccat. Et iterum: Qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Si non habet vitam: ergo nec habet Christum, qui vera est vita. Postremo Salomon de sapientia divina, quæ Christus est, differens ait: (Sap. 1.) In malevolam animam non intrabit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Cum igitur ex his omnibus aperte constet, Christum non habitare in cordibus peccatorum, inde etiam convincitur, illos non habitare in Christo, quia Christus est in omnibus, qui in eo sunt. Et inde ulterius sequitur eos, qui peccata habent, non habere Christum pro fundamento sui spiritualis ædificii. Et quod de his talibus non loquatur Paulus in prædic-

tis verbis, sed de solis iustis, in quibus Deus habitat per gratiam, facile persuadetur per id quod idem Paulus continuo post illa verba subdit: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Attende observo, quid dicat: Disperdet, inquit, non salvabit. Ex quibus verbis aperte convincitur, non superædificans supra fundamentum, quod Christus est, qui, & si teneat fidem, tamen fidei conjuncti peccata mortalia. Et hunc esse verum Pauli sensum confirmo testimonio Augustini libro de fide & operibus, cap. 16. ubi declarans prædicta Pauli verba, postquam dixerat fidem etiam esse fundamentum, sic ut Christus, hæc ait: Non enim fides illa dæmonum, cum & ipsi credant, & contremiscant, & filium Dei, constentur Jesum, potest accipi in fundamentum. Quare? Nisi quia non est fides, quæ operatur per dilectionem, sed quæ exprimitur per timorem. Fides itaque, quæ Christi, fides gratiæ Christianæ, id est, ea fides, quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit. Hæc Augustinus. Est adhuc aliud in verbis Pauli diligenter considerandum, quod manifeste ostendit Lutheranos in eorum verborum intelligentia fuisse deceptos. Nam Paulus, superædificantes supra fundamentum spiritualis ædificii, distinguens, nulla alia ædificia superædificata commemorat, nisi aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, & stipulam. At peccata mortalia neque aurum sunt, neque argentum, neque lapides pretiosi, quoniam omnia hæc pretiosa sunt, peccata vero mortalia adeo vilissima sunt, ut nullius sint pretii aut valoris, nisi forte apud eos, qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Sed neque lignis, neque fœno, aut stipulæ comparantur peccata mortalia in scriptura sacra, quoniam ista res materiales facile consumuntur igne, peccata vero mortalia habent ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Et ob hanc causam illa comparantur in sacra scriptura plumbo, & ferro, & gravibus faxis, quæ suo pondere premunt, & à caelorum summo usque ad infernum trahunt. Peccata autem venialia, eo quod levia sunt, & per ignem tribulationis purgari possunt levisimis rebus, & quæ facile igne consumi possunt, comparata sunt, videlicet lignis, fœno, & stipulæ. Duos igitur ordines superædificantium Christo Paulus commemorat. Sed utroque justos, qui superædificant ligna, fœnum, aut stipulam, sunt, qui peccata sola venialia commiserunt, aut si peccata mortalia commiserunt, poenitentiam illorum egerunt, sed non plenam satisfactionem, & hos purgari oportet, antequam mercedem gloriæ recipiant, & hoc aut per ignem tribulationis in vita præsentis, aut per ignem purgatorii in vita futura. Et hoc est quod Paulus dixit eos falvos fore, sic tamen quasi per ignem. Quinto nobis obijciunt testimonia aliqua sacra scripturæ, quibus omni credenti abique ullo discrimine, & sine ulla exceptione bonorum operum, promittitur iustitia & vita æterna. Nam Christus Salvator noster, apud Joannem ait: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Paulus ad Romanos scribens, ait: Iustitia autem Dei per

fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. In his omnibus locis aperte promittitur iustitia, & deinde vita æterna omni credenti. Et inde se recte colligere putabant Lutherani, fidem solum sine operibus satis esse ad iustitiam consequendam. Huic objectioni scio alios aliter respondere, sed omisiss illis responsionibus, quæ à littera longe distare videntur, alias referam quæ magis litteræ conveniant. Primo igitur respondeo, omnia illa sacra scripturæ testimonia esse intelligenda de fide viva, quæ quidem per dilectionem operatur, & pro hac re, suffragatur nobis B. August. in lib. de fide & operibus, cap. 13. ubi postquam dixerat mores bonos & fidem sibi invicem esse connexam, sicut dilectio Dei, & dilectio proximi quarum altera sine altera esse non potest, hæc quæ sequuntur, ait: Ideo aliquando, alterum sine altero, pro plena doctrina invenitur scripturam commemorare, ut etiam hoc modo intelligatur alterum sine altero, non esse non posse, quia & qui credit Deo, debet facere, quod præcepit Deus, & qui propterea facit quia præcepit Deus, necesse est, ut credat Deo. Hæc Aug. Quæ verba valde notanda sunt, & pro insigni quadam regula retinenda, quoniam juvant multum ad intelligentiam multorum aliorum locorum sacra scripturæ, & valent etiam ad confirmationem eorum quæ diximus, in solutione 1. argumenti. Et adhuc apertius, huic nostræ solutioni favet in eodem opere, cap. 14. sic inquit: Paulus non quamlibet fidem, quæ in Deum creditur, sed eam salubrem, planque evangelicam definit, cujus opera ex dilectione procedunt. Et fides, inquit 1. Cor. 13. quæ per dilectionem operatur. Unde illam fidem, quæ sufficere ad salutem quibusdam videntur, ita nihil prodesse asseverat, ut dicat: Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Ubi autem hæc fidelis charitas operatur, sine dubio bene vivitur. Plenitudo enim legis charitas. Hæc Aug. Alio modo potest responderi prædictæ objectioni, per unam insignem regulam & notatam dignissimam, quam pro intelligentia sacra scripturæ, annotat Radulphus Flaviacensis, vir longe doctissimus in Comment. super Leviticum. Dicit enim circa universales enuntiationes quæ in sacra scriptura reperitur, hoc esse summe considerandum, an in eodem loco aut alibi reperitur aliqua particularis enuntiatio quæ illi universali contradicat. Et si talis invenitur, dicitur universalem illam enuntiationem esse intelligendam cum exceptione illius particularis, quæ reperta est illi contradicere. Quoniam nisi hoc ita esset interpretandum, necessarium esset fateri multas contradictiones in sacra feri scriptura reperiri, quod absurdum esset & grave piaculum id confiteri. Ut autem regulam istam notissimam faciam, aliqua ex sacra scriptura proponam exempla, in quibus manifesta reperitur contradictio, nisi juxta istam regulam conciliantur. Primo omnium illud est notissimum quod Assuerum dixisse Hester reginæ uxori suæ, sacra scriptura testatur (Ester 13. 6.) Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Cum dixit pro omnibus, necessario oportet excipere ipsam Hester, ita ut sit sensus, pro omnibus, præter te. Nam alioqui, minime constare potest, ut pro omnibus lex constituta sit, & non pro illa. Præterea illud est etiam apertissimum quod legitur in libro Job cap. 13. Nemo mundus à sordibus, nec infans cuius est unius diei vita super terram. In hac generali locutione necessario intelligendum est, includi exceptionem Christi salvatoris nostri, & Virginis Mariæ matris ejus, & aliorum Sanctorum, quos in utero matris fuisse sanctificatos, sacra testatur

nostrum, & Apostolus ejus Jacobum testans, esse aliquos habentes fidem, qui tamen contra conscientiam agunt. Sed forte Lutherus & illius sectatores, ut sunt effrontes & pertinaces, negabant illa Christi & Apostoli ejus verba esse intelligenda de scientibus bonum per fidem veram, sed solum intelligi dicent de illis qui per rationem naturalem absque fide bonum agnoscent. Huic sententiae aperte contradicit Beda, qui prædicta Jacobi verba interpretans, docet illa de fidelibus intelligi, sic inquit: Per totum hujus epistolæ textum beatus Jacobus ostendit, quod hi quibus scripsit, scientiam boni faciendi habebant, simul & fidem rectam didicerant, ita ut & aliis se magistros fieri posse præfumerent, nec tamen operum perfectionem, neque mentis humilitatem, neque continentiam adhuc sermonis erant adepti. Unde illos modo inter alia increpationis & exhortationis verba non minimum terret in eo, quod scientem bona facere & non facientem quæ novit, majus dicitur habere peccatum quam illum, qui ignoranter delinquit. Tamen nec ille prorsus à reatu liber esse possit, qui nesciens erravit, cum ipsa bona ignorantia non parum sit malum. Hinc etenim Dominus ait: *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis, & non fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Hæc Beda. Qui satis aperte indicat illa Apostoli verba non solum esse intelligenda de eo, qui per solam rationem naturalem absque fide cognoscit bona quæ agenda sunt, sed etiam de illo, qui novit bonum per veram fidem. Nec opus est pro hac re multum morari, cum apertum sit per illam sententiam, totam arbitrii nostri potestatem tolli: quia si is qui bonum novit, etiam per fidem, non potest contra conscientiam agere, inde manifeste sequitur voluntatem cogi per iudicium intellectus. Rursum, si per omnem peccatum mortale amitteretur fides, sequeretur omnem qui peccato mortali est infectus, præsertim si in illo pertinaciter perseverat, esse hæreticum; hoc autem fateri esset nimium absurdum. Nam inde ulterius sequeretur, omnem illum, qui mortaliter peccat, errare circa quemlibet articulum fidei, quia cum non pateat ratio, quare potius in uno articulo quam in altero erret, necessarium est fateri, illum aut in nullo, aut in omni articulo errare. Sed de hoc nolo amplius disputare: quoniam inferius in titulo de hæretico, hæresi tertia, aliquid in speciali contra hunc errorem dicemus: Præter has omnes urgentissimas rationes, quibus aperte probatur fidem non amitti per quodlibet peccatum mortale, extant adhuc multa sacræ scripturæ testimonia, quæ id multo fortius probant. Et primum omnium illud est manifestum, quod Dominus apud Matthæum (Cap. 7.) ait: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. Multi dicunt mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Ecce videt istos, quibus Christus loquebatur, fuisse in peccato mortali, quam repelluntur à regno Dei, à quo nullus umquam sine peccato mortali repulsus est. At isti sic à Deo repulsi fidem habebant, quia Christum constabant Dominum, in cuius nomine prophetabant, & demonia eiciebant, virtutesque faciebant multas. Et hunc esse verum illo-*

rum Christi verborum sensum in proxime præcedenti hæresi probavimus testimoniis Theophylacti, Hieronymi, Basilii. Illa etiam apud Matthæum (Cap. 25.) proposita aperitissimum etiam præbet nobis de hac re testimonium. Nam vox illa quinque fatuarum virginum, *Domine, Domine aperi nobis*, aperte demonstrat illas habere fidem. Quod autem caverint charitatem, vel ex eo constat quod *clausa est illis janua*: & etiam ex illo quod sponsus dixit illis, *nescio vos*. Et certe ex hac parabola Chrysostomus, homilia 54. super Matthæum colligit fidem non amitti per quodlibet peccatum mortale, & virgines illas in hoc fuisse deceptas, quod putarunt fidem solum sine operibus satis esse ad justificationem. Præterea Salvator noster apud Joannem fideles de sua fide commendans, dixit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri iis qui credunt in nomine ejus*. Attendite obsecro Lutherani & considerate quid Salvator noster dixerit. Non enim dixit, illos qui credunt in nomine ejus, esse statim filios Dei, sed dixit eos habere potestatem, ut possent fieri Filii Dei. Per quæ verba docuit fidem esse initium adoptionis in filium, non autem perfectam adoptionem per fidem. Rursum illa parabola regis facientis nuptias filio suo hoc ipsum aperitissime demonstrat. Nam in illo nuptiarum convivio, fuit quidam non indutus veste nuptiali, quem rex ipse reprehendit, propterea quod sine veste nuptiali nuptias intraverit, & præcepit rex ministris suis, ut ligatis manibus & pedibus ejus mitterent illum in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. (Matth. 22.) Hanc parabolam interpretans Theophylactus super Matthæum, ait: Ingressus ad nuptias sine iudicatione fidei, dei. Gratia enim sola omnes vocati sumus, tam boni, quam mali: at vita eorum qui ingressi fuerint, post hæc non indispuita erit, sed examen valde magnum, faciet rex eorum, qui post ingressum in fœdido habitatu inveniuntur. Horreamus igitur, cogitantes quia nisi quis vitam habeat puram, nihil ei proderit nuda fides: non solum enim de nuptiis ejicitur, sed in ignem mittitur. Hæc Theophylactus. Eidem sententiæ subscribit beatus Gregorius in homilia super illam partem Evangelii apud Matthæum, ubi hæc parabola narratur. Si vestem nuptialem (inquit Gregorius) baptisma vel fidem dicimus, quis sine baptismo & fide has nuptias intrabit? Quid ergo debemus intelligere per vestem nuptialem, nisi charitatem? Intra enim ad nuptias, sed cum veste nuptiali non intrat, qui in sancta Ecclesia fidem habet, sed charitatem non habet. Et aliquibus interpositis iterum ait: Mirandum est valde quod hunc amicum vocat Dominus, & reprobat, ac si apertius dicat, amice, & non amice, per fidem & non amice, per operationem seu charitatem? Hæc Gregorius. Eadem interpretationi favet Hieronymus in Commentariis super Matthæum hanc dicens: Vestis nuptialis præcepta sunt. Domini, & opera quæ complectuntur, ex lege & Evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum, pannis autem veteribus, & lapidis, quicunque sunt obiti, quos ex illo veteri Adam, velut hereditarios habent, iis dicit Dominus, illud, quod & hinc evangelico: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Hæc Hieronymus. Ecce jam produxi trium sanctissimorum, penitæ ac doctissimorum virorum concors testimonium, qui omnes docent fidem sine charitate, & sine bonis operibus consistere posse. Nam dicunt ingressum ad nuptias fieri per fidem, & vestem nuptialem esse

esse charitatem, sine qua, ut ex Evangelio constat, aliqui intrant ad nuptias. Præterea hæc sententia confirmatur testimonio Joannis Evangelistæ, (Cap. 12.) dicens: *Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ut ex Synagoga non eicerentur, dilexerunt enim gloriam hominum, magis quam gloriam Dei*. Ex his verbis constat illos de quibus Evangelista loquitur, fidem habuisse & non charitatem, quia cum recte credidissent, timore Pharisæorum perterriti, non audebant ore confiteri. Et ne aliquis hanc nostram interpretationem velut à litera aliena rejicere audeat, profero in testimonium illius Bedam, qui in Commentariis super Joannem prædicta verba interpretans, hæc ait: Loquente Domino Jesu Christo apud Judæos, & tanta miraculorum signa faciente, quidam crediderunt prædicationi in vitam æternam, quos etiam vocavit oves suas. Quidam vero non crediderunt, nec poterant credere, eoque occulto, nec tamen in justo iudicio Dei fuerunt exæcati. Alii vero palam credentes, & cum ramis palmarum occurrentes: alii vero occulte credentes, sed propter Pharisæos non confitentes, quos Evangelista notavit, (Matth. 10.) cum dixit: *Dilexerunt gloriam hominum, magis quam gloriam Dei*. Gloria Dei est publice confiteri Christum, sicut Martyres sancti fecerunt, de quibus alio loco ipse Dominus ait: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo*. Hæc Beda. Rursum Paulus in priore ad Corinthios epistola eidem sententiæ favet, hæc inquit: (Cap. 13.) *Si habuerit omnem fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil sum*. In quibus verbis aperitissime Paulus docet fidem posse sine charitate consistere. Lutherani tamen videntes se horum verborum pondere premi, verba illa in alium sensum detorquebant, dicentes: Paulum dixisse non id quod fieri poterat, sed ex impossibili quodam supposito argumentum esse. Itaque rem plus justo exaggerare volens, ut ostenderet charitatem etiam esse necessariam ad justificationem, dedit, sed non concessit, ut dialectici argumentantes dicere solent, dato & non admissio, quod fides sine charitate esset, tunc sine ea homo non justificaretur. Sed hæc illorum interpretatio omnium Sanctorum doctrinæ contradicit, quia omnes sacri Doctores Pauli interpretes dicunt, Paulum non per exaggerationem loquutum fuisse ex presuppositione alicujus impossibilis, sed dixisse id quod fieri potest, & quotidie evenit. Nam Haymo in Commentariis super Paulum prædicta Pauli verba interpretans, hæc ait: Si habuerit omnem fidem, id est, per se factam & integram, quæ à Domino grano sinapis comparatur, non propter modicitatem sed propter fervorem: quia tritum manifestat eijus sit vigoris, sic & fides trita ad veritatem, ostendit eijus sit fortitudinis. Ita ut montes transferat, de loco ad locum, vel demones à patientibus ejiciat. Si charitatem, id est, si dilectionem Dei & proximi non habuerit, nihil sum, id est, nihil utilitatis mihi præstabit. Intelligiturque, quidam Corinthiorum per invocationem Dei hoc agebant, & propterea quasi præcipuos se putabant. Sed exhortatur ad id quod est præcipuum, id est, ad charitatem. Hæc ille. Ex cuius verbis constat Paulum non loquutum fuisse de eo quod impossibile erat, sed de eo quod apud Corinthios contingere videbat. Anselmus in Commentariis super Paulum prædicta Pauli verba interpretans, eidem sententiæ favet, sic dicens: Salvator dixerat fidem quæ fuerit sicut granum sinapis, montes

posse transferre, & nunc Apostolus dicit, omnem fidem esse, quæ montes transferat. Unde intelligitur per se factam esse fidem quæ grano sinapis comparatur, & hoc non propter exiguitatem, sed propter integritatem, dictum esse: Sed fides sine charitate nihil valet ad salutem, quia & demones habent hujusmodi fidem. Hæc Ansel. Qui satis aperte docet ex testimonio Pauli fidem non qualemeumque, sed perfectam, hoc est integram posse consistere sine charitate. Deinde Jacobus Apostolus hanc nostram sententiam multis aperitissimisque verbis docet: *Quid proderit* (inquit Jacobus (Cap. 2.) *fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum*. Et paucis interpositis subdit: *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa*. Lutherus, qui, ut diximus, fuit prima hujus hæresis auctor, videns prædicta Jacobi verba suam prorsus destruere sententiam, ad hoc commune hæreticorum asyllum confugit, ut negaret epistolam illam esse beati Jacobi, & diceret illam indignam esse, ut illius testimonio quis utatur ad aliquod dogma catholicum comprobandum. Sed contra hanc sententiam non est opus ut nunc pugnemus, quia supra in libro primo hujus operis capite secundo, ostendimus catalogum librorum sacræ scripturæ, qui necessario ab omnibus catholicis recipi debet. Posteriores Lutherani, ut Philippus Melancton, & alii videntes magnam esse demeritiam & temeritatem velle, ex catalogo librorum sacræ scripturæ aliquid librum rejicere, admittunt epistolam illam tamquam à beato Jacobo scriptam, sed dicunt verba Jacobi Apostoli non pugnare contra illorum sententiam, quia fidem illam quæ sine operibus consistit, Jacobus dicit esse mortuam, & inde illi deducunt, illam non esse veram fidem, sicut homo mortuus non est verus homo. Sed nec sic effugient manus nostras, quoniam Jacobus Apostolus non comparat fidem ipsam homini vivo, sed solum corpori, quod ab anima accipit vitam, & ita fides vitam suam capit à charitate & operibus ejus. *Sicut enim corpus* (inquit Jacobus) *sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*. Et inde necessario sequitur, ut sicut corpus seclusa anima, quamvis mortuum sit, tamen verum corpus est, ita fides seclusa charitate & operibus ejus, vera sit fides. Veram fidem dico, sed non vitam, aliud enim est esse vivam, & aliud esse veram, quia vera fides opponitur fidei, aut falsæ fidei: viva autem opponitur mortuæ. Sicut igitur non sunt necessario idem mortua & facta fides, ita nec potest esse vera, quamvis non sit viva. Et hæc esse veram verborum Jacobi interpretationem docent multi doctissimi penitæ ac sanctissimi viri. Nam Anselmus in Commentariis super Paulum interpretans illud Pauli ad Galatas. *Fides quæ per charitatem operatur*, hæc ait: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est: nec fides veteris testamenti, serviens ex timore, sed fides evangelica faciens ex charitate opera bona, non expectans temporalem retributionem, sed vindicandam perpetuo creatoris faciem. Hæc est fides electorum, quæ perducit ad salutem. Nam & demones credunt & contremiscunt, non tamen diligunt nec bene operantur. Et ideo fides quæ non habet charitatem, & opera bona, fides demonum est, non Christianorum. Illa ergo sola fides quæ & charitate flagrat, & bonis operibus infundat valet in Christo Jesu. Hæc Anselmus. Ex quibus verbis satis aperte constat Jacobum Apof-

(Eccle. 1.) *Timor Domini expellit peccatum. Et (Act. 2.)* Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Et (Matt. 28.) *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare quaecumque mandavi vobis.* Denique (1. Reg. 7.) *Præparate corda vestra Domino.* Hanc dispositionem seu præparationem justificationis ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & novatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Hujus justificationis causa sunt, finalis quidem gloria Dei & Christi, ac vitæ æternæ, efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito aluit, & sanctificat, signans & ungens spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Meritoria autem, dilectissimus unigenitus filius suus dominus noster Jesus Christus, qui cum esset inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit. Instrumentalis, item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit justificatio. Demum unica formalis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, quæ videlicet ab eo donari renovatur spiritu mentis nostræ, & non modo reputatur, sed vere justis nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mentem, quam Spiritus Sanctus parit, singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur. Id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum, & charitatem Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur atque ipsis inhæret, unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inscribitur, fidem, spem, & charitatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit, qua ratione, verissime dicitur, fidem in operibus mortuam & otiosam esse. (Jacob. 2.) *Et in Christo Jesu, neque circumcissionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur.* (Galat. 5.) Hanc fidem ante baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione catechumeni petunt, quum perunt fidem vitam æternam præstantem, quam sine spe, & charitate, fides præstare non potest. Unde & statim verbum Christi audiunt: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque veram & Christianam justitiam accipientes eam, osu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit per Christum Jesum illis donatam, & sanctam, & immaculatam, jubentur statim renati consecrari, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi & habeant vitam æternam. Cum vero Apostolus dicit justificari hominem per fidem, & gratia hæc verba in eo sensu intelligenda sunt, quom per petrus Ecclesie catholice consensus tenuit & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicatur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire. Gratiæ autem justificari ideo dicitur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promerentur. Si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin (ut idem Apostolus

inquit (Rom. 6.) *gratia jam non est gratia.* Et positam hanc doctrinam de justificatione, ne quis contra eam docere aut loqui auderet, Canones aliorum adjecit. Canon novus est ille: si quis dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationem consequendam cooperetur, & nulla ex parte, necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, anathema sit. Et Canone duodecimo iterum jam: Si quis dixerit, fidem justificationem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordie peccata remittentis, propter Christum, vel eam fiduciam solum esse, qua justificamur, anathema sit. Hæcenus Concilium Tridentinum. Sed hanc Concilii definitionem Calvinus irridet, & in illam debacchatur, propterea quod declaravit, ideo Paulum dixisse hominem justificari per fidem, quia fides est initium justificationis. Dolet enim Calvinus quod tam modicum tribuerit fidei Concilium, ut dixerit illam esse initium, & non complementum, sed non est justum, ut propter hoc debacchetur in sanctam Synodum, quasi propter doctrinam novam & nunquam audiam. Nam Ambrosius sermone vigesimo super Psalmum centesimum decimum octavum interpretans verbum illud: *Principium verborum tuorum veritas*, ait: Fides principium Christiani est, plenitudo autem Christiani justitia. Augustinus epistola 105. quæ est ad Sixtum Presbyterum, hæc ait: *Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia funditur, ut inquit, propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantico canticorum: Venies & pertinges ab initio fidei, non humano quod isti exolluntur tribuamur arbitrio, nec aliis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita, sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est sine meritis cogitamus.* Hæc Augustinus. Qui etiam dicit fidem esse initium justificationis, & non plenam justificationem. Hæc ille. Attendat hos Calvinus & doleat propter temeritatem suam, quia sanctæ Synodo maledixit. Deinde, Concilium non dixit esse solum initium justificationis, sed etiam radicem, & fundamentum. At rati dix fructus arboris germinat, & fundamentum juvat ad complectendam domum usque ad fastigium. Adversus hanc heresim scripsit olim beatus Augustinus librum qui inscribitur de fide & operibus. Scripsere multi alii hoc nostro sæculo contra Lutheranam, videlicet Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, Jacobus Hochstratus, Jodocus Clichtovæus in illo opere quod fecit pro assertione veritatis, definituram in Concilio Senonensi, Ambrosius Charanius, & his omnibus prolixus Albertus Pighius in controversiis suis, in quibus non minus ostendit. Tertia hæresis est, quæ docet fidem amitti per quodlibet peccatum mortale. Hujus hæresis inventor est etiam Lutherus, quoniam hæc hæresis, necessario sequitur ex proxime præcedenti. Nam si sola fides, ut Lutherus ait, justificat, ergo omnis fidelis est justus, & ideo alterius etiam necessario sequitur, ut nullus qui non est justus, nisi fidelis. Putat enim Lutherus ex fide necessario nasci charitatem, & tantam esse fidem, & charitatis connexionem, ut altera sine altera esse non possit. Verba enim Lutheri in libro de decem præceptis sunt ista: *In nullo alio melius deprehenditur fides, quam in operibus charitatis, dicente Domino: In hoc cognoscet omnes, quia mei essis discipuli. In hac definitionem habueritis ad invicem.* Et in libro de libertate Christiana iterum ait: *Deus pater in fide omnia posuit, ut si quis hanc habuerit, omnia habeat.* Hæc Lutherus. Hujus Lutheri

sen-

sententiæ consenserunt quotquot Lutheranæ nomine censentur. Nam Philippus Melancton, in suis locis communibus, titulo De bonis operibus, hæc ait: Item qui non agunt penitentiam, sed indulgentiis viciosis cupiditatibus, non retinent fidem. Fides enim querit remissionem peccatorum, non delectatur peccatis. Hæc Philippus. Quodam Joannes Spangebergus in sua Margarita Theologica, quæstionæ 5. agens de prima causa bonorum operum, hæc ait: Non potest fides existere cum mala conscientia, quia fides est fiducia, quod Deus sit pro nobis propitius: mala conscientia judicat contrarium. Item qui non agunt penitentiam, sed indulgentiis viciosis cupiditatibus, non retinent fidem. Hæc ille. Calvinus in 4. lib. de institutione religionis, irridet distinctionem fidei quæ à Theologis scholasticis dari solet per formatam, & informem, & dicit illam esse nugatoriam, putidam, & insulsum, quia putat nullam esse fidem quæ non sit formata per charitatem, & scribens contra decretum Concilii Trid. de justificatione impii cap. quod proxime in præcedenti hæresi citavimus, dicit fidem charitate vacuam, esse somnium, & inane hominis figmentum, & nihilo magis fidem posse à charitate separari, quam Christiani à spiritu suo. Hæc Lutherorum omnium sententiæ convincitur esse hæretica fortissimis rationibus, & apertissimis sacre scripturæ testimoniis. Primo quidem ratione naturali constat, nullam rem pendere necessario ex aliquo, quod sit posterius illa, quia alias necessario eveniret, idem simul esse & non esse, quod ratio naturalis abhorret. Nam id quod pendet ex alio, constat sine illo esse non posse, alioquin non penderet ab illo. Si autem illud, à quo pendet, posterius est illo, ante existentiam illius posterioris esse non poterit: si ante existentiam illius esse non poterit, ergo non est prius illo. Manifeste igitur convincitur effici non posse, ut id quod prius est, requirat ad sui existentiam aliud quod posterius est tempore. Ratio ergo naturalis hoc docet, ut id quod prius est, possit esse sine alio posteriore, non autem è contrario, ut id, quod posterius est tempore possit esse sine re priori, à qua dependet. Ut autem rem hanc apertiorum faciam, uno manifestissimo exemplo declarare volo. Partes essentielles ex quibus torus homo componitur, & à quibus homo ipse ad sui existentiam pendet, videlicet corpus, & anima, priores sunt ipso homine, & inde event, ut homo quia posterior est illis, non possit esse sine corpore & anima: corpus vero & anima, quia priores sunt, possunt esse sine ipso homine, prout contingit post mortem hominis, quando partes illæ separate manent, & jam tunc homo non est. Inter operationes animæ, quæ sunt intelligere, & velle aut nolle, omnes Philosophi & Theologi concordi animo semper hæcenus docuerunt, hunc esse ordinem necessarium, ut prior sit intellectus, quam volitio, aut nolitio: & hinc event, ut non possit esse nolitio, aut volitio, sine cognitione præcedenti, juxta vulgarem Augustini sententiam, voluntas non fertur in cognitum. Et iterum: Nihil volitum nisi præcognitum. Cognitio autem quia prior, potest esse sine volitione, aut nolitioe sequenti. Et hoc non solum verum est, de cognitione apprehensiva, sed etiam de judicativa, per quam judicamus, aliquid esse faciendum, vel fugiendum, prout contingit in illis qui bene noscunt, & male operantur. Ex his omnibus aperte convincitur, fidem posse esse sine charitate, quia fides pertinet ad intellectum, & proprius actus fidei est operatio intellectus, charitas autem pertinet ad voluntatem:

& actus charitatis, qui est dilectio, est operatio voluntatis. Forte Lutherani negabunt, fidem esse opus intellectus, propterea quod illi dicunt fidem esse fiduciam, sed hoc falsum esse, in præcedenti hæresi convincimus per illud Pauli, (Hebr. 11.) *credere oportet accedentem ad Deum, quia est: & per ille ejusdem, fide intelligimus aptata esse sæcula.* At credere Deum esse, & intelligere aptata esse sæcula, non pertinet ad fiduciam, nec est operatio voluntatis, sed intellectus. Fides ergo illa, de qua Paulus illo loco disserit, potest esse sine charitate, & dilectione Dei, sicut actus intellectus sine actu voluntatis. Præterea, manifestum est, hanc esse voluntatis nostræ potestatem, ut possit contra judicium conscientie aliquid agere, quia alias non esset libera, si intellectus per judicium suum posset cogere illum. Cum igitur fides sit tantum credulitas, & assensus intellectus quo sibi persuadet vera esse omnia quæ sunt credenda, convincitur, ut stante hoc judicio voluntas possit, etiam reclamante conscientia, aliquid operari: quod si eveniat, prout quotidie evenire conspicimus, tunc manifestum est, corrigisse id de quo disputamus, fidem videlicet posse esse sine charitate, & per consequens stare simul cum peccato mortali. Sed huic argumentationi Lutherus respondet negans contingere posse, ut qui fidem semel suscepit, possit aliquid reclamante conscientia agere. Nam in sermone quodam de Anabaptistis hæc verba refert: Qui fidem retinet, non potest contra conscientiam agere: hæc ille. Ecce quales sunt isti hæretici, & quam perfricta frontis, non vereantur manifestissima quæque negare, quando illorum sententiæ non conveniunt. Forte Lutherus jam tunc habebat tam execratam, & abruptam, & præcipitem conscientiam, ut quid quid ageret, semper putaret id sibi licere, & propterea ex se assumavit aliorum omnium conscientiam, & dixit neminem posse contra conscientiam agere. Sed esto, dicat quod libuerit, scripura tamen sacra aperte arguit illum esse in hac parte mendacem. Primo igitur manifesto convincit illum quod in libro Job, (Cap. 34.) dicitur: *Quasi impius percussit eos in loco videntium, qui quasi de industria recesserunt ab eo.* Quid quæso, Lutherus, est de industria recedere à Deo, nisi reclamante conscientia aliquid quod malum est, & Deo ingratum agere? Si autem hanc interpretationem, quæ tam manifesta est, & litteræ tam aperte germana, rejicere non erubescis, beatum Gregorium profero in testimonium in hujus interpretationis, qui in moralibus suis prædicta verba interpretans, hæc ait: *Ex industria peccaverunt ii de quibus ipse per se magister dicebat: Si non venissent, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et paulo post: *Et viderunt & oderunt me, & patrem meum.* Aliud est enim bona non facere, aliud bonorum odisse Doctorem; sicut aliud est præcipitatione, aliud deliberatione peccare: sæpe enim peccatum præcipitatione committitur, quod tamen Consilio & liberatione damnatur. Ex infirmitate enim, plerumque solet accidere amare bonum, sed implere non posse. Ex studio vero peccare, est bonum, nec facere, nec amare. Hæc Gregorius. Ex quibus verbis constat quod peccare de industria, est peccare cum conscientia & cognitione peccati. Illud etiam est manifestum, quod Salvator noster apud Lucam ait: *Servus qui novit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, capulabit multis.* Et Jacobus Apostolus, (Cap. 4.) ait: *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi.* Ecce Christum salvatorem

ppp

nos-

scriptura. Nam si hæc exceptio non intelligatur inclusa in illa universali prædicta, necessarium erit fateri illam universalem esse falsam. Hac regula usus est Paulus interpretans illud Propheta, ex Psalmo 8. *Omnia subiecisti sub pedibus ejus.* Nam quia ex illa universali, forte quis eam male intelligens colligere tentasset Patrem cœlestem se etiam subdidisse pedibus Christi, ad dissolvendum hanc malam collectionem, in priori ad Corinthios epistola, c. 15. sic ait: *Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissime autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus ejus.* Cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. Ecce videt Propheciam generaliter sine ulla exceptione fuisse locutum. Paulus tamen docet, in illa universali elocutione necessario intelligi, esse exceptum id quod alias constabat contradicere illi universali elocutioni. Juxta hunc modum, ego dico omnes illas universales elocutiones per quas asseritur omnem credentem esse justum, esse intelligendas cum hac exceptione, præter eos qui opera præceptorum divinorum adimpleverunt, quoniam de omnibus talibus aperta testimonia & multa sacræ scripturæ dicunt eos non esse justos, nec vitæ æternæ dignos. Nam Paulus ad Ephesios scribens, cap. 5. ait: *Hoc enim scitote, intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiae.* Hæc ultima verba, aperte videntur esse dicta propter Lutheranos, & alios similes farinæ doctores: Nam ii inanibus verbis seducunt homines, docentes eos, opera non esse necessaria, sed per solam fidem posse justificari & consequi vitam æternam. De istis iterum in epistola ad Titum ait: *Constituentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominari & increduli, & ad omne opus bonum reprobi.* Et Joannes in sua prima canonica cap. 2. ait: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Denique Salvator noster, homini petenti ab eo, quibus factis posset vitam æternam habere, respondit: (*Matt. 19.*) *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ex quibus constat eos qui mandata Dei non custodiunt, non intrare in vitam æternam, & per consequens non esse justos. Omnes igitur isti quos testimonio Christi & Apostolorum, constat esse excludos à vita æterna, sunt intelligendi excepti in illis universalibus enuntiationibus per quas promittitur omni credenti vita æterna, aut justificatio. Potest adhuc tertia dari responsio prædictæ objectioni, & quidem non contemnenda, cum sit literæ convenientissima. Dico igitur, illas universales enuntiationes sic esse interpretandas, ut non ad singula quæque individua referantur, sed ad singula genera ipsorum individuorum. Et hoc est quod sub aliis verbis recentes dialectici dicunt, esse distributionem non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum. Et hunc modum elocutionis esse frequenter usitatum in sacris litteris, nemo est qui negare audeat, nisi forte qui in illis non est versatus, aut illas non intelligit. Manifestum siquidem est illud, quod Prophecia regius de Christo salvatore ait: (*Psal. 71.*) *Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.* Multi sunt certe hodie reges, qui Christum non adorant, & multæ gentes quæ non serviant ei. Attamen ex omni populo & ex omni natione aliqui reges adoraverunt Christum aut aliquando adorabunt, & aliquæ gentes ex omni natione servient ei. Juxta eundem modum interpretandum est id, quod idem Prophecia in Psalmo 85. ait: *Omnes gentes quæcumque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine. Et*

ne in solo veteri testamento hæc locutionis phrasis, haberi dicatur, profero exemplum ex novo testamento. In parabola regis qui fecit nuptias filio suo, dicit rex ministro suo. *Voca omnes quoscumque inveneris.* Cujus præcepto respondet idem minister: *Factum est, ut jussisti. (Matt. 22.)* At certum est non omnes venisse ad fidem Christi, quæ nomine nuptiarum eo loco significata est, sed ex omni gente, & ex omni natione aliqui ad fidem Christi venerunt, aut saltem venient. Juxta hunc modum, nos dicimus interpretandum esse Paulum, cum dixit (*Rom. 3.*) *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum, ita ut intelligamus, non singulos quosque credentes esse justos, sed quod ex omni gente & omni natione aliqui credentes justificentur, ita ut non solum Judæi credentes, sed etiam Gentiles possint justificari. Et hunc esse verum & germanum litteræ sensum ipsa Pauli verba aperte convincunt. Nam post illa verba continuo Paulus adjecit. *Non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei, & infra: An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium? immo & Gentium.* Putabant quidem Judæi, solos esse coram Deo justos, & gentes non esse capaces gratiæ divinæ, & ideo ad comprimendam hanc illorum arrogantiam, dixit, justitiam Dei esse in omnes & super omnes, hoc est non solum in Judæos, sed etiam in Gentes. Sexto nobis obijciunt testimonia aliquorum sanctorum virorum qui videntur dicere, solam fidem sine operibus justificare: ex quibus est Bernardus sermone 22. super Cantica. Theophylactus in Commentariis super novum caput Epist. Pauli ad Romanos. Leo Papa in quodam sermone de Epiphania. Hilarius canone 9. super Mattheum, & forte aliqui alii qui mihi nunc memoriæ non occurrunt. Sed nullus istorum nec quisvis alius ab Ecclesia probatus, dixit umquam, fidem solam sine operibus semper justificare. Dixerunt quidem, ut ingenue fatear, fidem solam justificare, sed non fidem solam sine operibus, quoniam magnum est discrimen inter hæc duo. Nam cum illi dicunt, fidem solam justificare, per illam dictionem exclusivam, sola, non rejiciunt opera, sed omnes alias sectas, quæ non conveniunt cum fide Christi in quibus non est falsus, nec justificatio. Cum ergo dicatur: Sola fides justificat, tantum valet, ac si diceretur: In nulla secta est justitia, nisi in sola fide Christi. Fuit enim olim hæresis quaedam dicens: Omnem hominem in lege sua bene viventem posse salvari, sive Judæus ille sit, sive Sarracenus, sive Paganus, de qua hæresi infra disputabimus in titulo de Legibus. Ut autem hunc errorem sancti rejiciant, dicere solent, fidem solam justificare, quod idem est, ac si diceretur, extra fidem catholicam non esse veram justitiam. Et ad confirmationem hujus intelligentiæ profero unum exemplum ex Bulla Martini Papæ, hujus nominis quinti, per quam damnantur errores Joannis Vviolæph, & Joannis Hussi in qua post damnationem istorum hæreticorum hæc verba habentur: Cum reliquis vero hujusmodi secta damnabili quomodolibet infectis, qui post competentem monitionem, ac frequentem exhortationem qua pie erga eos, spe correctionis, & emendationis, ac ad melioris vitæ frugem conversionis, usus est, à prædictis erroribus, & secta noluerint respicere, & ad gremium unitatemque sanctæ matris Ecclesiæ, ac fidem catholicam, quæ sola salvare potest, sine qua nulli veræ salutis subsidium contingit, plene recognoscere, & coniteri, justitiæ severitas, prout facti poposcerit qualitas, dulzore misericordiæ temperetur. Hæc tunc ex Bulla Martini. In qua, ut ex illius contextu aperte constat, solam fidem sal-*

vare, idem est quod Paulus alibi dixit: (*Heb. 11.*) *sine fide impossibile est placere Deo.* Per illam igitur exclusivam tantummodo excluduntur aliæ sectæ & non opera, nisi tantum illa, quæ fuerunt facta ante fidem, quoniam hæc nullo modo justificant, neque illis aliquo modo tribuitur justitia, quamvis aliquid eorum, videlicet penitentia, sit necessarium ad salutem. Et in confirmationem hujus est, quod Augustinus ait in libro de spiritu, & littera capite vigesimo sexto. „ Sic intelligendum est, inquit ille, factores legis, nisi justificentur, ut non justificatio factoribus accedat, sed factores legis justificatio præcedat. „ Hæc Augustinus. Possunt adhuc illa verba, sola fides justificat, aliam sensum habere, & vere catholicum, ita ut illa dicitio exclusiva excludat opera, verum non omnia, sed ea quæ præcedunt fidem, & hoc universali verum est, quia etsi illa, ut diximus, aliquando sit necessaria, numquam tamen illis imputatur justificatio. Potest etiam intelligi ut excludat opera sequentia fidem, sed tunc non est universaliter accipienda illa exclusiva, ita ut semper solam fidem justificare intelligatur, sed particulariter intelligendum est, solam fidem sine opere externo illam subsequente aliquando justificare hominem, quando videlicet post fidem susceptam non occurrat tempus, in quo aliquid opus exterius homo operari deberet: Et quod hæc sit vera illorum verborum intelligentia constat ex Beato Chrysostomo in Homilia de fide & lege naturæ, ubi interpretans illud Prophecia. *Ego sicut olivæ fructifera in domo Dei;* hæc ait. „ Oportet igitur ante opera lucere fidem, & fidei pedissequa, quæ esse opera, ut ne quis fidem propter sterilitatem, & neque opera propter incredulitatem vituperet. Esto igitur, olivæ fructifera, sed in domo Dei. Interpretandum enim est de operibus esse olivam fructiferam, de fide autem esse, in domo Dei. Et aliquibus interjectis, iterum ait: Non oportet quidem nudam ab operibus esse fidem, ut non vituperetur: verumtamen, sublimior est fides quam opera. Et post pauca iterum ait: Ante opera fides primum inducenda est. Eum qui operatur opera justitiæ sine fide, non possum probare vivum fuisse. Fidelem autem absque operibus possum monstrare & vixisse, & regnum ascendit. Nullus sine fide vitam habuit. Lætro autem credidit dumtaxat, & justificatus est à misericordissimo Deo. Atque hic ne mihi dixeris defuisse ei tempus quo juste viveret, & honesta faceret opera. Neque enim de hoc contenderim ego, sed illud unum asseveravi, quod sola fides per se salvum fecerit. Nam si supervixisset, si deique & operum fuisset negligens, à salute excluderetur. Hoc autem non queritur, & agitur, quod & fides peti, seipsam salvum fecerit, opera autem per se nullos unquam operarios justificaverunt. Hæc tunc Chrysostomus. Ex quibus verbis satis aperte constat ad hunc sensum intelligendum esse, quod ait: Sola fides justificare, quod videlicet aliquando ita contingere potest, ut puta, quando non occurrat tempus in quo necessario esset aliquid operaturus, sicut patet in exemplo illo de latrone qui simul cum Christo fuit crucifixus. Constat etiam quod illa dicitio exclusiva, sola, non excludit omnia opera, sed solum externa. Nam alias falsum esset quod sola fides sine charitate aut dilectione Dei posset salvum facere. Falsum etiam esset, quod laico ille, qui propositus in exemplum habetur, sit solam fidem, cum constet ex verbis quæ locutus est, habuisse veram in Christo spem & illius dilectionem & suorum peccatorum penitentiam. Contra hæc hæresim non video jam quid mihi restet agendum, ut illam radicis

evellam, nisi proferre Ecclesiæ catholicæ definitionem quæ illam aperte condemnet. Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum exactissimam (ut decebat) pro hujus rei examinatione adhibuit (me ibidem presente) diligentiam, & tandem post diutinam disputationem & examinationem, sessione sexta, doctrinam, quæ in hoc negotio necessario amplectenda est, publicavit, quæ à capite tertio decretorum illius sessionis usque ad finem capituli octavi extensa, verba sequentia continet. Verum & si Christus pro nobis mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed hi dumtaxat quibus meritis passionis ejus communicatur. Nam sicut re vera, homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cum ea propagatione per ipsum, dum accipiuntur, propriam injustitiam contrahant, ita nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur, cum ea renascentia, per meritum passionis ejus, quæ iusti sunt illis tribuatur. Pro hoc beneficio, Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri (*Col. 1.*) *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transfuditque in regnum filii dilectionis suæ in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.* Quibus verbis justificationis impij descriptio insinuat, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: (*Joann. 3.*) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Declarat præterea ipsius justificationis exordium, in adultis, à Deo, per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullus eorum existentibus meritis, vocatur, uti qui per peccata à Deo averſi erant, per existentem, atque adjuvantem gratiam, ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando, disponant, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo, libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris cum dicitur: (*Zach. 11.*) *convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus (*Thren. 3.*) *converte nos Domine ad te, & convertemur, Dei nos gratia præveniri constemur. Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuvati, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divina justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam, se convertendo, in spem eiganitur, fidentes Deum sibi, propter Christum, propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt. Ad præterea moventur adversus peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam penitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est (*Heb. 11.*) *Accidentiam ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerari sit. Et, (*Matt. 9.*) *Confide filii, remittuntur tibi peccata tua. Et,****

totum comparasse fidem ad corpus solum, non ad totum hominem integrum, charitatem autem, & opera ad spiritum per quem corpus vivificatur. Eadem sententia favet beatus Hieronymus, libro secundo contra Jovinianum, sic inquit: „Frustra nobis in eo applaudimus, cuius mandata non facimus. Scienti bonum & non facienti illud, peccatum est. Quomodo corpus sine spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est. Neque grande patemas unum Deum nosse, cum & demones credant, & contremiscant.“ Hæc Hieronymus. Eandem sententiam docet Bernardus sermone 24. super Cantica, hæc dicens: „Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum, fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio.“ Hæc Bernardus. Qui satis aperte docet, vitam fidei esse charitatem, sine qua fides mortua est. Sicut corpus sine anima, quæ vita est ejus, verum corpus est, quamvis mortuum: ita fides sine charitate, quæ vita est ejus, vera fides est, quamvis sit mortua. Et certe si reliqua Jacobi Apostoli verba circumspectamus, aperte confitabitur sentire, fidem sine operibus, quamquam mortua sit, vere esse fidem. Nam dicit fidem illam sine operibus esse otiosam. Quomodo autem potest vere otiosa dici, quod non est? Fides ergo quæ vere est otiosa, vera est fides. Deinde, idem Apostolus manifesto exemplo probat fidem posse esse sine charitate in homine existente in peccato mortali. Tu credis (inquit Jacobus) quod unus est Deus. Bene facis, & demones credunt & contremiscunt. In quibus verbis Apostolus fidem illorum, qui charitate & operibus carent, comparavit fidei demonum. Et ex hoc testimonio Jacobi, aliqui Sancti Doctores colligunt fidem solum non posse hominem justificare. Nam Cyrillus libro decimo super Joannem, cap. 8. hæc ait: „Quod fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit, scribens: Tu credis quia unus Deus, demonia etiam credunt & horrescunt. Si ergo fides sola sufficeret, multitudo demonum perire non posset.“ Hæc Cyrillus. Huic consonant Anselmus qui super cap. 13. prioris ad Corinthios epistola, hæc ait: „Fides sine charitate nihil valet ad salutem, quia & demones habent hujusmodi fidem.“ Hæc Anselmus. Postremo contra hanc hæresim est aperta Ecclesie catholice definitio, quam protulit Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum, sessione sexta, cap. 15. suorum decretorum, cujus verba sunt hæc: Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, afferendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinæ legis doctrinam defendendo, quæ a regno Dei, non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, qui fidem, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur. Post datam hanc doctrinam, ne quis contra illam loqui audeat, canonem latæ sententiæ protulit, qui vigesimosextus est in ordine, cujus verba sunt hæc: Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. Hæc

Concilium Tridentinum. Sed hæc Concilii definitio nem irritet Calvinus: propterea quod Concilium dixit fidem quæ sine charitate habetur esse veram fidem, & non considerat quod licet Concilium dixerit illam esse veram, negavit tamen esse vivam. Non enim necessario consequitur ut vivam sit quod verum est. Quia ut jam diximus corpus mortuum verum est corpus, quamvis careat vita. Sed forte nos hic urgebit Calvinus testimonio aliquorum sanctorum & doctissimorum virorum, qui negant fidem sine operibus esse veram fidem. Gregorius homilia 29. super Evangelia ait: „Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Et quibusdam interpositis iterum ait: Tunc vera, ceter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus complemus. Theophylactus super illud Joannis, qui non credit jam judicatus est, ait: „Qui immundam, agunt vitam, non vere fideles sunt. Sed hi omnes Doctores & quotquot alii hoc loquutionis genere utuntur, capiunt verum pro perfecto & completo, ita ut fides vera, apud istos, sit illa, quæ est perfecta & completa, qualis est illa quæ (ut ait Paulus (Galat. 5.) per charitatem operatur. Et hoc locutionis genere solent omnes homines uti in communi & vulgari colloquio. Nam si quis dicat se dormientem audisse alios colloquentes, responderi solet illi, non fuisse verum somnum illius, propterea quia & si rê vera dormitabat aut dormiebat, somnus non erat plenus atque perfectus. Si quis etiam flagellatus dicat se non doluisse ex percussione flagellorum, respondebitur illi, non fuisse vera flagella. Quibus verbis non negatur, illum sustinuisse flagella, sed negatur illa fuisse perfecta & valida flagella. Juxta hunc loquendi modum sancti aliquando dicunt fidem mortuam non esse veram fidem, non quod negent fidem illam esse, sed negant illam esse plenam & perfectam. Potest & adhuc obijci contra prædictam Concilii definitionem, quod multi sancti patres dicunt fidem sine charitate esse non posse. Beda in Commentariis super epistolam Jacobi interpretans illud ejusdem Joannis, fides si non habeat opera, mortua est, hæc ait: „Nec huic sententiæ contrarium est, quod Dominus ait (Matth. 16.) Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Subintelligendum namque ibi est, quod tantummodo verum eredit, qui exercet operando quod credit. Et quia fides & charitas ab invicem separari nequeunt, Paulo attestante qui ait: Est fides quæ per dilectionem operatur, aperte Joannes Apostolus talem de charitate sententiam, qualem illius sententiam Gentiles auctores, quos illi maxime colunt. Cicero confidentiam definiens, ait: Confidentia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. Et Seneca in epistola 16. ad Lucillum scribens, ait: Dicam tamen sententiam, quod jam de te spem habeam, non dum fiduciam. Ex quibus verbis constat fiduciam esse spem, non tamen omnimodam spem. Illud quod addidit fiduciam ultra nudam spem, Thomas dixit esse robur quoddam, per quod spes ipsa fortis efficiatur. Cicero autem dixit esse certitudinem, ita ut nulla sit fluctuatio, aut hæsitatio, aut timiditas, aut diffidentia animi in sperando. Nam hæc omnia pugnant cum fiducia, & opponuntur illi. Hic tamen admoneo lectorem, ut verba Ciceronis dicentis, confidentiam esse certam spem, non

quem ipse eo loco interpretatur. Fides igitur quamvis possit à charitate separari ex se, quando tamen respicit justificationem, ab illa non potest avelli: quia si existat sine illa, justificari non valet. Cyprianus autem non negat fidem esse sine charitate, sed solum illis verbis ostendit fidem quæ sine operibus est, languidam esse & imbecilem atque invalidam ad salutem, & ideo ab illo reputatur non esse; quia non potest fides illa testimonio bonorum operum probari. Quod autem probari non potest (ut egregie dicit Bernardus in libro de præcepto & dispensatione) mihi infectum est. Et hæc esse veram Cyprianicam mentem, constat ex verbis quæ ipse in fine citati libri ait, ubi docet non omnino recedere fidem, sed languere & imbecilem effici per peccatum mortale.

**F I D U C I A**  
De hac re est orta una hæresis, quæ asserit nullomodo licere fiduciam gratiæ aut gloriæ assequende collocare in nostris operibus. Hujus hæresis auctor est Lutherus, & illum in hac parte sequuntur Philippus Melancthon, Martinus Butzerus, & quotquot Lutherano nomine censentur. Hanc hæresim ipsi deducunt ex aliiis illorum erroribus, velut aquam putridam ex fonte corrupto. Dicunt enim opera nostra omnia esse peccata, & per illa non posse homines mereri vitam æternam, & inde deducunt, nullam fiduciam esse collocandam in nostris operibus ad consequentiam vite æternæ, sed omnem nostram fiduciam dicunt, debere collocari in solis Christi meritis: quia per solum illum redempti & salvati sumus. De illis erroribus qui ad bonitatem operum & meritum eorum pertinent, inferius in suis locis disputabimus in titulo de merito, & in titulo de operibus. Nunc autem solum de fiducia in operibus collocanda disputare oportet. Sed ante omnia, ne in vanum laboremus, operæpretium erit, inquirere, quid sit fiducia, & inde postea apertius evadere in quo illam collocare liceat. Fiducia aut est spes, aut firmitas sive robur ipsius spei. Quod autem istorum sit, ego nolo nunc definire, quia parum refert hoc aut illud esse. Ad elucidationem præsentis negotii, Beatus Thomas in sua secunda secundæ questione centesima vigesima nona, articulo sexto, dicit fiduciam esse spem roboratam ex firma opinione. Est ergo fiducia spes quadam, & non quæcumque, sed ea sola quæ vires & robur habet ex firma opinione. Sed quia optime intelligit Lutherus & illius sectatores beatum Thomam contemnere velle, hoc solo nomine quod theologus scholasticus sit, proferam ad comprobandum illius sententiam Gentiles auctores, quos illi maxime colunt. Cicero confidentiam definiens, ait: Confidentia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. Et Seneca in epistola 16. ad Lucillum scribens, ait: Dicam tamen sententiam, quod jam de te spem habeam, non dum fiduciam. Ex quibus verbis constat fiduciam esse spem, non tamen omnimodam spem. Illud quod addidit fiduciam ultra nudam spem, Thomas dixit esse robur quoddam, per quod spes ipsa fortis efficiatur. Cicero autem dixit esse certitudinem, ita ut nulla sit fluctuatio, aut hæsitatio, aut timiditas, aut diffidentia animi in sperando. Nam hæc omnia pugnant cum fiducia, & opponuntur illi. Hic tamen admoneo lectorem, ut verba Ciceronis dicentis, confidentiam esse certam spem, non

putet esse intelligenda de certitudine quæ provenit ab objecto, hoc est, à re sperata, de ea quæ est ex parte ipsius sperantis. Nam sæpe contingere potest, ut quis hæsitans & timens speret id quod certo eveniet: & e contrario, ut quis sine ulla hesitatione speret id quod nunquam eveniet, prout contigit illi diviti evangelico, qui multis divitis congregatis, dicebat se habere bona in vita sua, attamen nocte sequente animam illius demones acceperunt. (Luc. 12.) Hic certe fiduciam vite habuit, quia sine ulla hesitatione sperabat vitam longam & perfectam & quietam se habituram, sed male illam collocavit in divitiis, quæ vitam dare non possunt. Fiducia oritur ex firma opinione, quæ de realiâ habetur. Nam si quis credit Petrum esse veracem, & potentem ad aliquid faciendum, statim habet fiduciam in promissionibus illius, & quo magis persuasus est de veritate & potentia, & bonitate Petri, eo magis sperat habiturum quod ille promissit, & firmius confidit in illo. Et hinc aperte deducitur nos omnes obligari ad habendum majorem fiduciam in promissionibus Dei, quam in promissionibus cujuscumque hominis, quantumlibet veracis, & potentis, & boni. Quoniam teneo credere Deum esse magis veracem, & bonum, atque potentem, quam quivis purus homo. Ideo Propheta Regius dixit (Psalm. 144.) Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus. Non enim sunt usquequaque veraces, neque sunt adeo potentes, ut possint omnia, quæ voluerint, facere. Deinde, fiducia quæ in homine collocatur provenit ex opinione habita de homine, quæ semper habet formidinem admixtam. Fiducia autem quæ habetur in Deo, oritur à fide, quæ credimus Deum esse veracem, & bonum, & omnipotentem. At persuasio de veritate, & bonitate, & potentia Dei, quæ habetur per fidem, quoniam est sine ulla dubitatione, & sine ulla formidine, multo firmitior est opinione, quæ semper (ut diximus) habet formidinem admixtam. Ideo Paulus (Heb. 11.) dixit fidem esse fundamentum cui innitur spes. Fides (inquit ille) est spirandarum rerum substantia. Interpretis dixit substantia, pro eo quod gratæ habetur hypostasis, ac si diceret esse id quod substat alteri rei, ut sustentet illam, quemadmodum fundamentum substat toti ædificio. Ideo enim speramus carnis resurrectionem, quia credimus Deum veracem, qui dixit illam esse futuram, & credimus Deum esse adeo potentem, ut possit mortuos revocare ad vitam. His itaque præsuppositis dicimus nos fiduciam habendi gratiam & gloriam debere collocari in Christo quatenus Deus est, quia ex sola ratione potens est nobis dare gratiam & gloriam, juxta id quod Propheta ait: (Psalm. 83.) Gratiam & gloriam dabit Dominus. Hæc autem fiducia inde oritur quod Christus dixit: (Matth. 4.) Agite paenitentiam, appropinquabit regnum caelorum. Credimus autem Deum esse veracem qui mentiri non potest, & potentem ad faciendum id quod promissit. In Christo autem quatenus homo est, habemus fiduciam consequendi gratiam & gloriam, tamquam in eo per cuius merita hæc nobis reddenda est. Hic est enim qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redimit de interitu vitam nostram, qui coronat nos in misericordia & misericordibus. (Psalm. 102.) Nec enim (ut ait Petrus Act. 4.) aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Per hunc (ut ait Paulus Rom. 5.) accessum habemus ad patrem. Hic est verus pastor, qui ovem centesimam errantem imposuit super humeros suos, & sic reduxit ad caulas. (Joann. 10.) Hic est vera vitis, sine qua